



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. De Baptismo infantium, qui nascuntur ab infidelibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

quia hi sunt casus raræ praxis, videantur apud S. Th. qu. 66. ar. 5. ad 4. ibique commentatores Suar. de Sacra. d. 23. sec. 3. Castrop. de bap. d. un. p. 9. à num. 14. G. Hurtad. de bap. d. 2. à diff. 6. & alios Doctores: nobis sufficiant, quæ de his diximus supra c. 1. §. 5. à n. 33.

Præterea, qua ratione sint baptizandi, quando duo Gemelli ita iuncti nascuntur, ut non appareat, siue una, an duæ personæ, vel quando non apparet, vitæ ne habeat proles, an sit monstrum, diximus lib. 1. in Decal. c. 3. §. 7. V. Baptismus.

§. I. De Baptismo Infantum natorum ab Infidelibus.

1. **R**egula generalis. Licet nequeant, utroque parente refragante, Infantes Infidelium baptizari, ut mox dicemus num. 8. baptizari tamen possunt, altero ex parentibus consentiente, etiam si hæc sit Mater. Debet tamen tunc puer tradi curæ Parentis consentientis.

Hæc Regula colligitur ex iure C. 2. de conver. Infidel. & fulcitur ratione, quia Religiosis, & Filii bonum præferendum est iuri, quo Pater potitur in Filium. Et certe Greg. XI l. i. v. refert Valentia d. 4. q. 3. p. 3. vers. Quarto dico. decrevit aliquid fortasse difficilius, idest, ut baptizaretur Puer, quem Avus paternus volebat baptizari, invita Matre Iudæa.

2. Hinc Primo possunt baptizari Infantes, qui longissime abfunt à parentibus Infidelibus, & amplius ad eos transmitti non possunt. Ita Scous in 4. diff. 5. q. vii. ar. 10. & Cæta. 3. p. q. 68. ar. 10.

3. Hinc Secundo, non licet baptizare Infantes invitatis Tutoribus Infidelibus, quando illi sunt parentibus orbat, quia ex iure naturali Tutores succedunt Patri, quando eos Pater constituit, sicuti eidem Patri, ex eodem iure succedit Avus.

4. Quando autem Tutores iure civili sunt constituti, iidemque subiecti sunt Principi Christiano, possunt prædicti Infantes baptizari, etiam Tutoribus huiusmodi invitatis, quia tunc Princeps posset privare potestate illos Tutores, eamque sibi assumere, vel alteri Tutori Christiano dare, & consequenter Infantem baptizare. Curare tamen tunc Princeps debet, ut puer ab Infidelibus separaretur, ne periculum subeat deserendi fidem, ut notat G. Hurtad. l. mox citando.

5. Hinc Tertio, secundum G. Hurtad d. 3. de Bap. diff. 4. & Castrop. de Bap. de un. p. 6. n. 9. Infantes Filij Hæreticorum possunt, invitatis parentibus, baptizari, quia eorum parentes, utpote per Baptismum subditi Ecclesiæ, possunt cogi ad servanda omnia præcepta Naturalia, Divina, & Ecclesiastica, quare cogi possunt ad servandum præceptum hoc de Baptismo: Si tamen adsit periculum subversionis, debent ab illis trahi filii.

6. Si vnus tantum ex dictis Hæreticis parentibus sit baptizatus, idem dic, quia in hoc satis est, si alteruter ex parentibus sit subditus Ecclesiæ, potestque ab illa cogi.

7. Sed quid agendum, si ejusmodi Infans non possit à parentibus Hæreticis separari?

Respondet Suarez apud Castr. mox citandum: tunc non esse baptizandum ne scilicet grave damnum potius Infans suscipiat à parentum consortio quam emolumentum à Baptismo. At Layman quem citat, sequiturque Castr. de Bap. d. un. p. 9. num. 10. putat baptizandum esse, quia dictum periculum incertum est: nam fortasse puer morietur ante usum rationis; & quando erit ætate grandior, facilius revocabitur ab infidelitate, cum primum sciet se Sacro Baptismo confignatum. Vtrumque probabiliter ratiocinari, merito pronunciat Leander de Bap. d. 5. quæst. 8.

8. Hinc Quarto, Infantes parentum Infidelium, quæ parentes sui juris sunt, nec vilo modo subiecti Principibus Christianis, non possunt parentibus utriusque invitatis baptizari. Ita Suarez de Sacra. d. 25. sec. 3. initio. & G. Hurtad. de Bap. d. 3. diff. 4. initio dicentes nullum Theolo-

gum se invenisse, qui contrarium doceret. ejusmodi illa nobis sufficiat, quod nunquam sit constitutum ab Ecclesiâ, immo in Sacris Canonibus C. Majorum Bapt. C. Iudæis eod. prohibuit, ne parentibus invitatis baptizarentur Infantes Infidelium, solum ex iure jeororum Ecclesiæ.

9. Excipio, ut G. Hurt. de bap. d. 4. diff. 4. v. Offertentibus citans Vasq. & Coninch. si quando infans prævidetur moriturus, tunc enim non est morale periculum, si parentes cum revocent à fide, ne aliud sequatur modum, si caute, ut supponimus, Baptismus ipse, per se, non est peccatum, sed tamen in se habet peccatum, si non est voluntas nolentibus, conferatur. Addit autem Castrop. d. un. de Bap. p. 6. n. 16. in extrema vicinâ mortis necessitate, etiam si timeas à Patre ægrè id ferendum de filio Sacrilægis, & falsitatis: si forte, vixit, contentum dum; adhuc posse te, illum baptizare; nam si potius separabis à Patre, si non poteris, ipsi patri imputanda ea sacrilegia, non tibi, qui ab illa necessitate Baptismi excusaris.

10. Dixi autem modo (nullo modo subiecti) & Canonibus dixerunt, (solum civiliter subiectorum filia) Nam, si parentes sunt Mancipi, seu vere filii Christianorum, potest, ut ajunt Durand. & Vasq. quos citat G. Hurt. l. c. diff. Dominus baptizare eorum infantes, invitis parentibus, siquidem servi magis subditi Domini sunt, quam sub cura Parentum.

11. Addunt aliqui, Principes Christianos posse baptizare Infantes Turcarum quamvis nondum Mancipios, etiam parentibus sepugnantibus, quia sicuti ad bellum, dicti Principes iustum bellum gerere cõdemque cadere, propriisque bonis spoliare possunt, ita, & eandem filios ab ipsis avellere, ut certe post Baptismum hoc certe oportebit, eosque in Fidei Mysteris instruat. Unde igitur Doctores citati reiciunt Sotum in 4. d. 4. dicentem, non licere Domino eo solo sine sequenti volum à Patre, ut ille baptizetur.

12. Denique bene advertunt hic Vasq. & Sotus apud G. Hurtad. l. c. vers. sed quæres, Iudæos, in terra Christianorum degentes non esse servos sed concives, quæ cum eorum Infantibus non erit agendum, nisi eo modo quo diximus num. 8. cum civiliter subiectis.

13. Sed adhuc inquires, In casibus prædictis, in quibus possunt Domini baptizare prædictos Infantes, obligatur Respondeo. Ita profecto per se loquendo, si debet Charitate, seu Misericordia.

14. Dico tamen (per se) excipere enim debemus casum quo quis excusaretur ab aliquo gravi incommodo, quo ex ejusmodi Baptismo conferendo sequeretur, prout prudentis Theologi expendendum.

15. Superfunt duæ prædictæ difficultates, licet minus frequentes enodandæ.

Quæritur primo potest, An, si dubitetur de vocationis pueri, ipse autem Baptismus deposcat, utroque Parente. An inquam, baptizari licet possit?

Respondeo, me de hac difficultate, l. p. in Decal. §. 3. V. Baptismus, n. 3. & 4. plenè dixisse.

16. Quærit Secundo potest de eo casu, qui supponitur, quibus annis agitur est Melitæ in nobilissimo Mino Hierosolymitarum Concilio.

Inter divites, & pinguem prædam qua semel prædictorum Miltum Tireres potiti sunt, dū strenue, per filios præliantes, ingens Turcarum navigium expugnatum, adfuit infans à mammis, adhuc nutritis pendens, Regi genere, ut dicebatur, enatus. Pater ergo, qui certe in plebissimis instructus erat divitibus, ut infans in manu accepit, per fidos legatos, Magnam memorari Obedientiam Magistram, oblato ingenti in redemptorem precioso, ut dicebatur, ravit, ut infantem filium suum Vnigenitum, ut remitteret ad patriam. Nam propterea quæritur, si an licite potuisset Infans ad patrem Infidelium remitti cum certo ipsius animæ irreparabili detrimento, si se enim non remitti, jam ex se pater.

17. Respondeo: Si mihi hæc quæstio propolita fuisset, affirmassem, esse probabile, licet potuisset remitti, ut

quid tunc dictum à Theologis fuerit, profusus ignoro.) quia puto esse probabile, Christianos posse licite red- dere Infantes non baptizatos, accepto pretio, à parenti- bus oblato.

Primo, propter maiorem libertatem, & honorem Re- ligionis nostræ, & baptismi reverentiam.

Secundo, quia videretur Ecclesia uti mediis fere vio- lentis, & valde extrinsecis ad fidem propagandam.

Tertio efficacius, quia infideles etiam retinerent in- fantes Christianos captivos, si ipsi negari suos Infantes, præterim adeo ab iisdem expetitos, experirentur.

Quarto, quia Dominus subiret onus illos alendi, & educandi, nec eos vendere regulariter posset, quò pacto essent magno sumptui, & labori iis, qui in illos domi- nium habent: Caritas vero non videtur cum tanto incommodo, & onere obligare, dum infans non est in extrema necessitate, hoc est in articulo mortis constitu- tus. Ita Suar. apud Bon. mox citandum. Quod si in hoc, il- li qui remittunt, videantur cooperari cum peccato Infide- lium Parentum, tamen excusantur, quia ex una parte vendere, seu restituere Parenti, filium, non est res in- trinsecè mala, & ex alia, satis prædicta incommoda vendentem excusant, & sic mala sequentia merito solis parentibus Infidelibus imputantur.

8. Quæ dixi, didici ex Suar. Henric. Vasq. & aliis quos citatos, sequitur Bon. d. 2. de bapt. q. 3. p. 6. num. 14. Ceterum huic sententiæ G. Hurt. dist. 3. de bapt. diff. 5. resistit, ita tamen. Non videtur assentiri, absolute enim edicere, ex Misericordia teneri Dominum, ad non resti- tuendos Infantes parentibus Infidelibus.

9. Post hæc præscripta incidi in Castrop. de Bapt. d. 1. p. 6. n. 20. qui sic habet. Præterea consuetudine in- troductum est, super parvulos Saracenorum, immo Hæ- reticorum, captivos vendi, & restitui parentibus, nullo collato Baptismo, ne ab ipsis Catholicorum filii deti- neantur, cum gravi Apostasie periculo.

§. III. De Baptismo Adultorum, ubi de obligatione, quam habet Adultus baptizandus, sciendi Mysteria, & Præcepta Fidei.

1. Cum adultus in Religionis electione sit maxime sui iuris posse, imo & debere, quibuscumque contradicentibus, baptizari, nimis est certum. Solum igitur hic agamus de dispositione, quam ad Baptismum adire debet: quæ certe quatuor importat.

Primo, intentionem suscipiendi hoc Sacramentum. Secundo, actum saltem Attritionis, quo à se remo- veat obiectum peccati.

Tertio, cognitionem Mysteriorum Fidei.

Quarto, similem cognitionem Præceptorum ab ipso deinceps servandorum.

Quoniam vero de primis duobus alibi dictum est fa- tis lib. 1. de Sacram. in genere, nunc breviter de Tertio, & Quarto aliquid delibemus.

1. Quoad Tertium, ergo. Extra mortis articulum, esse mortale, Adultum aliquem baptizare, vel finire, se baptizari, nisi pto sua capacitate cognitionem habeat Mysteriorum Fidei: nam ea debet credere, iuxta illud Matth. 11. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. At credi non potest id, quod nescitur.

2. Ea vero, quorum cognitio necessaria est, sunt. Quod Deus sit unus, & trinus Pater, & Filius, & Spi- ritus sanctus, Quod idem Filius Dei, ut nos salvaret fa- ctus sit homo, mortem sit passus, resurrexerit, vivatque nunc gloriosus in Cælo, venturūque sit in mundi fine, præmium æternum, hoc est beatam vitam Bonis, & Fi- delibus redditurus, æternam pœnam Malis: ad quam beatam vitam pervenire non possumus sine fide, & abs- que observantia præceptorum Christi. Quæ omnia de- bet Adultus credere, tanquam à Deo, qui fallere, nec falli potest, revelata. Debet item credere per baptis- mum, se obtenturum gratiam, & amicitiam Dei, ut ni- micum sciens, & prudens, se, saltem ad Attritionem

Part. III.

disponat, illamque velit. Rectè autem notat Quintanad- venas de Baptism. sing. 1. §. 5. num. 4. in intentione bap- tismi suscipiendi involui hoc ultimum; intentio enim suscipiendi baptismum nulla esset, si baptismi effectus, & est amicitia, seu reconciliatio cum Deo nullo modo cognosceretur.

4. Quo ad Quartum. Quia quilibet tenetur scire obli- gationes sui status, & professionis, ideo debet baptizan- dus, tum Præceptorum Decalogi, tum Ecclesiæ, saltem in genere, cognitionem habere. Quare qui extra ne- cessitatem baptizatur Adultum, sine horum instructione, peccat mortaliter; ut fusc docet Sanchez lib. 2. in Decal. c. 3. n. 24. sine.

5. Quamvis autem tantummodo prædicta sint, pro suscipiendo Baptismo, necessaria: tamen urgeat Instru- ctor, ut baptizandus sciat alia Mysteria, scilicet Sym- bolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Saluta- tionem Angelicam, & decem præcepta, aliaque quæ de præcepto scienda sunt à Fidelibus, quæque enumerat ibi- dem Sanchez, & nos breviter collegimus lib. 2. in Decal. cap. 2. §. 1. Nam post susceptum baptismum facile negli- gi deinde solet horum notitia.

6. Dixi num. 2. & 4. extra necessitatem mortis per- iculum. In necessitate enim sine prædictorum scientia, sed tamen, quando potest, cum generica voluntate, cre- dendi, quæ credit Ecclesia, posse licite baptismum con- ferri, ac suscipi ab Adulto consentiente, omnes ut Ioan. Sanch. in select. d. 44. n. 41. & Leand. de Baptism. d. 5. §. 24. supponimus.

7. Illud denique hic præterire nolo. Tametsi quili- bet, ut colligitur ex dictis §. 1. obligetur baptizari sta- tim, ne se exponat periculo moriendi sine Baptismo, & ut valeat in decursu suæ vitæ cetera Sacramenta susci- pere, tamen si forte quis damnatus ad mortem sit Infidelis, & convertatur ad Christum, poterit differri ejus baptismus usque ad locum patibuli, ut sic securius salu- tem nascentur. Ita contra Ioannem Sanchem, Quinta- nadvenas de Baptism. singul. 2. §. 3. id pluribus probans. Qui addit, hunc recenter baptizatum non posse suscipere Eucharistiam. Sed nos cum eodem Ioan. Sanch. posse docuimus in Opusc. de Commun. c. 5. §. 5. & quidem eod- dem die, & sufficere unam horam ante mortem. Nam pro- pterea ad facilitandam hujus casus praxim, sic corrigere prædictam Quintanadvenas doctrinam, ut hujus mori- tui baptismus differatur usque ad ultimum diem, atque in illo baptizetur, & post instructionem de Mysterio Eucharistiæ, ante aliquot horas mortis communicetur.

CAPUT IV.

De cognitione spirituali, quæ oritur ex Baptismo.

§. I. Proponuntur ea, quæ sunt deinceps explicanda.

1. Præmittendum est Primo, Patrinum vel Matrinam esse eum, vel eam, qui, vel quæ spondet, se habitum Paternam spirituales curam ejus, qui baptismum est recepturus, in instructione rerum Fidei. Spondet au- tem tacite, quando baptizatum suscipit, & iam si nihil respondeat. Hæc autem susceptio, vnde Patrinus susce- ptor appellatur, & Matrinx susceptrix, duplici consuevit modo præstari, vel scilicet baptizandum tenendo cum baptismus administratur, vel eundem suscipiendo, à ma- nibus baptizantis, immediate post baptismum. Vide quæ dicam §. 4. n. 1.

2. Petes. Solemniter baptizare sine Patrinò (sub hac voce semper intellige, vel Matrinam) mortale est?

Respondeo. Probabilis est esse mortale. Vide Leand. loco mox citando, (ut etiam diximus in Confirmatione) quia sit in re gravi contra præceptum Ecclesiæ. Esto Possessivus apud Leandrum d. 7. de Baptism. quest. 2. dicat non esse mortale, quando parentes sunt Catholici; & esto, Archangelus apud eundem dicat esse de congruentia

B 3 Dixi,